

58

**¶** Pars .VI. **¶** Ca. IX.

vt occasio magna prouocationi libidinis auferretur. Magna enim est prouocatio libidinis uiris in uestibus muliebris: & e contrario & hoc est quonia uestis muliebris circumdata uiro: uelementer reficit memoriam: & commouet imaginatio mulieris et e contra. Alibi autem didicistis: quia imaginatio rei desiderabilis: commouet desiderium. Quinta causa ut auferret occasio maleficij: quibus gentes ille refertissime erant: & eis innutrite. Consueuerunt malefici & malefice: in uestibus aut de uestibus: libidinis maleficia exercere: & hoc nos in libris eorum sepe legimus. Vt ergo occasio huiusmodi tolleretur: uoluit deus hanc confusionem uestitus esse in uiris & mulieribus. Sexta causa ut tolleretur error periculosus: & superstitiosa credulitas: que trahi possent ad ydolatriam: quibus credebant decepti ampliatione uestium muliebrium: maxime in sacris ueneris coniungi sibi: ac consiliari amore fortissimo corda mulierum: propter quas hoc facerent: uel que postea huiusmodi uestibus uterentur. Similiter & decepte mulieres: id ipsum credebant de uiris & uirilibus uestimentis. Voluit ergo deus hunc superstitiosum errorem auferri de cordibus eorum: per ablationem abusionis istius: ne per illum tandem traheretur ad cultum ueneris. **B** Vt uero uestis ex lana linoque contexta prohibitus fuit iuxta litteram quia sacerdotes ydolorum: & in egipto maxime uestibus huiusmodi utebantur. Alia causa fuit generalis ut ydolatria que huiusmodi coniunctionibus exercebatur: ex hoc percutteretur. Tercia fuit ut ordo nature quem ydolatre multipliciter peruertebant seruari in uestium materijs: ut linum scilicet sub lana esset & corpori humano propinquum. Quarta ut uestibus & materijs earum: ipsa quam natura inter eas fecerat discretio seu distinctio: seruarietur: ut linea siue camisea: uera camisea esset: & tunica uera tunica: & ita de alijs. Hec enim que diximus: omnia confundebant & commiscebant ydolatre in uenerationem maxime elementorum: de qua aliquid loquemur in sequentibus: pro eo scilicet quod de commixtione elementorum: quibus seruabant eorumque confusione: omnia huiusmodi gigneretur. Volebant etiam insinuari per hoc: hoc est per huiusmodi commixtiones et coniunctiones: agricolas & pastores ad stellarum seruitium obligatos: quia stellarum fauore & beneficentia: putabant fecunditatem: & lane copiam in animalibus: & fertilitatem in agris prouenire: propter hoc ergo lanam & linum simul in uestibus coniungebant: ut ipso habitu hanc superstitionem & profiterentur: & utrunque copiam a stellis prouenire profiterentur. Vt utrumque autem istorum erat stellarum seruitium: uidelicet: tam